

Heinrich Rahn Hieronymus Koch

Disputatio Inauguralis De Libellis

Rostochii: Kilius, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766620689>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



DISPUTATIO INAUGURALIS

De

LIBELLIS,

Quam,

Favente Deo Trino & Uno Maximo

Decreto & Auctoritate Nobilissimi & Amplissimi Ictorum Ordinis in Academia

patriâ,

PRÆSIDE

VIRO Amplissimo, & Consultissimo

DN. HENRICO RASHNERI

J.U.D. Prof. & Juridicæ Facultatis p.t. Vice-Decano Spectabili, nec non Consistorii Ducalis

Affessore ; Favitore suo honorando

Pro summis in utroq; jure insignibus ac

Privilegiis Doctoralibus ritè ac solenniter consequendis

Placida Eruditorum censura exponit

HIERONYMUS ROCH.

Ad diem 20. Septemb. in Auditorio Majori horis ante & pomeridianis

ROSTOCHII,

Typis Hæredum NICOLAI KILII. Acad. Typogr.

Anno 1655.

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

LIBELLIS


Invenit Des Jure & Uo Minimo

Reverend & Augustine Nobilissimus

Philosophicus

PRÆSIDI

VRO



DN HENRICH

JURISCONSULTI

honorabilissimi

Pro summo et optimo

Erwigend Doctorum

honorabilissimi


HERONVM

honorabilissimi

ROSTOCKI

Typis Nicolai Kiliani

Anno 1771


 Animum actionum instituendarum principium ab ea parte edicti proficiscitur, quâ Prator edicit de in Jus vocando, utiq; enim imprimis adversarius in Jus vocandus est, i. e. ad eum vocandus, qui Jus dicturus est. §. fin. J. de pœn. tem. litig. c. 11. X. de probat. Est ergo citatio prima Judicii pars sicut princeps & ultima existit executio. Hinc si illa omittatur, processus redditur nullus. Carpz. defn. forens. p. 1. c. 2. def. 21. n. 2. Gail. 1. obs. 48. n. 2. Myns. 2. obs. 91. Citationi verò ritè factæ parere necesse habet reus, & se sistere atq; accipere oblatum ab actore libellum, ut ex eo intelligere possit, an conducibile sibi sit & proficuum contendere cum adversario & litigare, an verò consultius ei cedere & victas præbere manus. l. 1. pr. ff. de Edend. atq; de hoc argumento, LIBELLIS nempe, eorumq; indole & requisitis quædam tradere in præsens constituimus in nomine Domini nostri Jesu Christi initium facturi.

A

THE.

THESIS I.

Libellus dicitur à libro, unde olim charta conficiebatur *Vve, semb. in π de Edend. n. 1. & 2. Duran. in specul. lib. 4. par. 1. §. 1.* Hinc nomen etiam accepit contractus libellarius, sic dictus, quod in brevi charta, seu libello conscribatur. *Cujac. ad tit. quib. mod. feud. amitt. Borcholt. de feud. c. 2. Vel à librando, quod in eo deliberet reus, utrum cedere an contendere malit, Odofr. in summ. de libell. form.*

II.

Est verò libelli significatus varius. Denotat enim 1. tabellam, fideicommissariam, in qua testator fidei commissum scripsit *l. 1. ff. de tabul. exhib. l. 22. C. de fidei comm. 2.* Scriptum quod iudicis recusandi causa à litigatoribus exhibetur & vocatur libellus recusationis, *l. 16. C. de Judic. 3. tractatum seu commentarium. c. 2. X. de summ. Trinit. c. 1. dist. 20. 4.* Supplicationem, quà postulata nostra Principi aut Magistratui exponimus *l. 15. ff. de in Jus voc. rubr. C. quand. libell. Princip. dat. lit. fac. contest. 5.* Literas dimissorias, sive apostolos. *rubr. ff. de libell. dimiss. 6.* Scriptum, quod vel maritus uxori, vel contra uxor marito divortii causa mittit. *l. 7. ff. de repud. & divort. 7.* Scripturam famosam, *rubr. ff. & C. de famos. libell.* Sunt & aliæ adhuc vocabuli hujus significationes plurimæ, quas recenset *Speculator de libelli conceptione §. quot autem 3.* Nos verò sepositis & valere iustis omnibus à nostro proposito alienis, de illa jam agimus, quàm sequens definitio declarat.

III.

Libellus est scriptura ab actore adversus reum in iudicio producta ipsius intentionem de futura litis specie continens. Definitionem hanc breviter examinabimus: Scripturam posuimus loco generis, cum regulariter in scriptis sit exhibendus. *auth. Offeratur C. de tit. contest. l. 31. C. de Episcop. audiens.* Scripturamq; de substantia libelli imprimis in causis Ordinariis (in summariis enim sufficit intentionem apud acta explicare. *Rosbach. de process. jud. civ. tit. 33. n. 31.*) communiter DD. velint, *Rosbach. alleg. loc. Oldendorp. in syllog. except. forens. n. 5. p. m. 290.* Ex scripto, inquit, constat libellus, ex non scripto causæ nudis verbis controvertentium tractantur, *Schneidvv. ad §. 1. J. de action. n. 99.* tam in iudiciis civilibus, uti probat *d. l. 1. ff. de Edend.* & tunc dicitur libellus

CONVEN-

conventionalis c. 3. X. de libell. oblat. quàm criminalibus l. 3. ff. de accusat. Nov. 53. c. 3. §. 1. Treutl. vol. 1. Disp. 4. th. 12. & hic dicitur accusatorius. gloss. ad c. 1. in pr. ad verb. reclamationis X. d. tit. quam & Ordinatio Camerae p. 3. tit. 12. pr. & §. sum andern, præcisè requirit. Non itaq; apte definitivè videtur Ummius disp. ad process. jud. 6. th 8 n. 37. libellum per verborum conceptionem, cum & mente verba concipi possint, etiamsi scripto non exprimentur.

IV.

Dein ab actore, qui adversus alium in judicio experiri intendit, offerri libellum diximus, ut scire possit reus utrum cedere an ultra contendere prosit. l. 1. ff. de Edend. Sed hic quaeri solet, cui primum in judicio libellus exhiberi debeat, reone an judici? Treutl. vol. 1. Disp. 4. th. 12. per auth. Litigiosa. C. de litigios. existimat Judicium primo esse exhibendum, cujus officium super petitione imploratur, cujusq; partes sunt, ut sententiam ferat libello conformem nec extra ejus metas vagetur, aut judicet. Carpz. p. 1. def. forens c. 26. d. 8. deinde parti adversæ. Vvesemb. in π. de Edend. n. 5. Sed dicemus de hoc infra pluribus.

V.

Porrò in judicio libellus reo offerri debet, non privatim, quia judicia ad id sunt constituta, ut in iis actiones proponantur, & nemini Juris sui extra judicium persequendi facultas detur cum effectu l. 9. C. de O. & A. Vis enim est, quoties id, quod deberi tibi putas, non per Judicem reposcis. l. 13. ff. quod met. caus. neq; singulis est concedendum, quod per Magistratum publicè fieri possit, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. l. 176. ff. de R. J.

VI.

Verùm enim verò ut libellorum materia hæc distinctius consideretur, in suas ipsi differentias & species dividendi erunt. arg. §. 4. J. de Just. & jur. arg. §. 1. J. de Oblig. arg. §. 1. J. de Action. Summa vero & prima est, quæ dispescitur in Criminalem, quem non nemo querimoniam appellat, & Civilem: quæ positiones Juri nostro legibusq; conveniunt; libelli enim criminalis seu accusatorii mentio fit in l. 17. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult. & accusationis libelli in l. 17. C. eod. & inscriptionis in l. 3. in pr. & §. 1. C. de his qui accus. non poss. Estq; scriptura, quæ ob delictum publicum, vel privatam accusator agit ad pœnam corporalem

lem reo infligendam, vel ad pœnam pecuniariam fisco applicandam.
gloss. in l. 3. ad verb. centum aureorum. ff. de sepulchr. viol. Petr. Gregor.
Tholos. l. 47. syntagm. Jur. univ. c. 5. n. 3.

VII.

Civilis libellus, qui in l. fin. C. de. annal. except. & §. 24. J. de actione
conventionis, & in Nov. 112. C. 2. & 3. conventionalis & reclama-
tionis, c. 1. X. de libell. oblat. dicitur, est, quo agimus pecuniariter ad
commodum proprium petentes in iudicio rem nostram, aut id, quod
nobis debetur. Marant. in specul. aur. p. 4. dist. 1. Obrecht de form.
libell. c. 2.

IIIX.

Differt verò Criminalis à Civili I. quia in illo non requiritur ne-
cessario, nec attenditur conclusio. Gail. 1. obs. 61. num. 14. 15. 18. & 19. cum
ex sola facti narratione & qualitate delicti pœna imponenda veniat.
l. 1. §. 4. ff. ad SCtum Turpill ubi dicitur, quod quamvis nihil de pœna sub-
jecerit accusator, tamen legis potestas adversus accusatum exerceatur,
nisi quando pœna partim fisco partim actori applicari debeat; tunc e-
nim ad pœnæ condemnationem in libello criminali rectè fit conclu-
sio. Gail. d. obs. 61. n. 19. Auson. Popm. lib. 2. de ord. & usu judic. n. 20. At
in civili actione paginam utramq; facit conclusio, adeò ut sine ea libel-
lus subsistere non possit. Gail. 1. obs. 61. n. 18. Quamvis hæc regula suas
quoq; patiatur exceptiones, quarum non nullas recenset Oldendorp.
in syllog. except. forens. n. 15 p. m. 298. II. In criminalibus causis (in civi-
libus quæ infamant, idem fieri debet. Gail. 1. obs. 64. n. 1.) locum &
tempus delicti in libello exprimere est necessarium. l. 3. ff. de accusat.
quæ duo si omittuntur, libellus, etiam parte non opponente, rejicitur
Rosbach. de process. jud. civ. tit. 33. n. 7. Jul. Clar. 5. sentent. §. fin. q. 12.
num. 9. Myns. 2. obs. 32. III. In persequendo crimine libellus obscurus,
etiam adversario non excipiente, ipso Jure nullus est l. 3. §. 1. ff. de accu-
sat. Gail. 1. obs. 62. n. 13. In civilibus libellus obscurus valet, si non
opponatur à parte. Gail. d. loc. n. 12.

IX.

Ratione conceptionis, secundum communem DD. opinionem,
& ex usu fori atq; consuetudine, dividitur libellus in Summarium &
Articulatum: Ille & simplex appellatur, atq; per excellentiam li-
bellus dicitur. Oldendorp. in syllog. except. forens. p. m. 310. Continuus
vero

verò *Ummio disp. ad. process. jud. 6. th. 8. n. 38.* & est, qui rem enarrat & exponit Judici summam, verborumq; serie continua factam complectitur. *Vultei. ad pr. 7. de action. & l. 2. Jurispr. Rom. c. 29. Treutl. vol. 1. disp. 4. th. 10. lit. b.* Hunc sicuti initio edere æquè liberum cuivis erat ac articulatam. *Ord. Cam. p. 3. tit. 12. §. sum andern,* ita postea usus ejus in Camera Imperii nullus esse cœpit, tum sc̄ cum actor conventionem suam, vel gravamina articulatim proponere fuit iustus. *Recess. Imp. de anno 1570. §. wiewol auch Vermög gemeiner rechre &c.* Hodie ex *Recessu Imperii novissimo de anno 1654. Ratisbonæ promulgato §. diesem nechst nun/* hujus solius usus est, quemadmodū in aliis quibusdam judiciis, imprimis Saxonice, ut testantur *Vvesemb. in ꝯ C. de formul. & impetrat. action. subl. n. 7. & p. I. cons. 38. n. 7. Matth. Berlich. p. I. conclus. 12. n. 3. Carpz. p. I. defm. forens. c. 2. d. 1.* adeo ut articulatus libellus nullo modo admittatur, ne quidem in causis appellationum, *d. Recess. Imp. novissimo de anno 1654. §. zubefürderung des process. &c.* Ne tamen hic libellus articulatus æquè alienus sit à cognitione, quam ab usu, describemus illum, quod sit, qui per certas positiones, capitula membratim distincteq; negotium cum suis circumstantiis, singulis orationis sententiis, per quædam intervalla distinctis, Judici repræsentare & ob oculos ponere à DD communiter dicitur.

X.

Est præterea libellus alius Conventionalis, alius Reconventionalis Ille, quo actor reum. Hic, quo reus actorem vice mutua coram eodem iudice convenit. *l. 45. ff. de R V. l. 29. ff. de Procurat. l. 14. cum Auth. Et consequenter C. de sentent. & interloc. omn. Judic. c. 2. X. de mut. petit. Marant. p. 4. specul. aur. dist. 6.* alius deniq; principalis, s. primæ instantiæ, alius appellationis, seu causam secundæ instantiæ complectens, *Rosbach de process. Jud. civil. tit. 33. n. 3. & 4.*

XI.

Offerri debere libellum Judici competenti *c. 1. ibiq; gloss. X. de oblat. libell. vel etiam delegato & arbitro specul. tit. de libell. concept. §. Restat 10. num 3. & 4.* diximus: Cui addimus hîc hodie exemplum libelli, authentico, seu, ut loquuntur Pragmatici, originali apud acta retento, per Judicem reo communicari. *Auth. Offeratur C. de lit. contest. Auth. Litigiosa. C. de litigios.* Quod & in Camera ser-

vari legimus, *Ord. Cam. p. 3. tit. 40. in pr. sc.* duplex inibi offertur libellus, quorum utriq; diem productionis Protonotarius inscribit, & alterum retinet, alterum Procuratori adversæ partis per ministrum, seu pedellum, ut vocant, offert. Idem in Judicio nostro Provinciali ex ordinatione Illustrissimorum Ducum Meckleburgicorum Dni Johannis Alberti & Dni Ulrici *de anno 1570. tit. von Klag und wie citation auszubringen.* Item Dni Adolphi Friderici & Dn. Johannis Alberti *de anno 1622 part. 2. tit. 12. in pr.* nec non nostrate Rostochiensis *in der neuen Berichts Ordnung eines E. E. Raths de anno 1586. p. 1. tit. II. est receptum*

XII.

Consequens est, ut videamus, in quibus causis necessarius sit libellus, in quibus non. Sane regulariter in omnibus, sive civiles illæ sint, *l. ult. C. de annal. except. Nov. 53. c. 3. §. Sancimus.* sive criminales, *l. 3. ff. de accusat. l. 16. 17. C. eod.* sive realis intentata fuerit actio, sive personalis, *l. 6 ff. de R. V. exhiberi debet,* adeo ut non porrecto libello totus processus vitietur, secundum *Vantium de nullit. ex def. process. n. 18. & Sichard. ad Auth. Offeratur num. 3 in fin. C. de lit. contest.* nec conventionem partium ejus oblatio remitti possit, siquidem non tantum rei, sed & judicis causâ faciendâ est. *Bart. ad Auth. Offeratur C. de lit. contest. gloss. in C. de causis 4. verb. consensu partium. X. de offic. & potest. Jud. deleg. Coler. de process. execut. p. 1. cap. 5. n. 29. & 30. sichard. in d. Auth. n. 5. Bocer. class. 6. disp. 14. th. 5.* Consuetudine tamen induci posse, ut litigatores omnia viva voce & ore proponant in judicio, nec eam esse improbam, aut damnabilem, existimamus cum *Hartm. Hartm. lib. 2. tit. 8. obs. 1. num. 4. Boc. d. th. 5. Disp. 14 class. 6.*

XIII.

Inveniuntur tamen causæ, in quibus libello non est opus, quas omnes in præsens enumerare cum non liceat, præcipuas saltem tangere placet. Talis autem est, quando Judex per inquisitionem ex officio procedit. *Auson Popm. l. 2. de ord. & usu Jud. c. 13.* Item Summaria de plano expedienda, sine strepitu & figura Judicii, solâ facti specie inspectâ & consideratâ. *Clement. Sepe. 2. de V. S. Clement. Dispensiosam. 2. de Judic.* in qualibus etsi probationes legitimæ intervenire nihilominus debeant, *d. Clement. Sepe 2. V. S. tamen accu-*

rata

rata Judicarij processûs atq; diligens observatio est remissa, & quæ
 liscunq; petitio apud acta sufficit, *Zanger. de Except. p. 1. c. 2. n. 25.*
 His anumerandæ sunt causæ modicæ & vilium personarum, *Auth. ni-
 si breves. C. de sentent. ex pericul. recitand.* arbitrio Judicis æstimandæ
Durand in specul. de libell. concept. §. 9. n. 3. Sic nec in matrimoni-
 alibus necessarium esse libellum *Beust de sponsal. & matrim. p. 1. c. 22.*
 notat. Alias causas non egentes libello invenire licet apud *Oldendorp.
 in syllog. except. forens. p. m. 315. n. 32. & seqq.* *Durand. in specul.
 lib. 4. tit. 1 par. §. 9.*

XIV.

Cæterum ordo monet, ut investigemus, quomodo libellus
 debeat constitui, quod certè cognitu vehementer est necessarium.
 cum sine omni esse debeat vitio, alioqui non valiturus quicquam,
 Imprimis verò hic cujusq; loci stylus, in Judicio usitatus, sollicitè est
 attendendus, cum ille pro lege habeatur *l. ult. in fin. C. de injur. Gail.
 1. obs. 1. n. 1.* quem tradere, cum uniformis non sit, nec licet, nec è re
 nostra esse ducimus. Interim necesse arbitramur, ut omnes provinciæ
 caput omnium curiarum, h. e. Spirensis Cameram ejusq; observantiam
 sequantur, *arg. §. fin. 3. de satisd.* Proinde, quomodo in illa libellus
 sit formandus, breviter subjungemus.

XV.

Constituimus verò cum vulgo DD. partes libelli alias necessa-
 rias seu substantiales, alias arbitrarias seu accidentales. Substantiales
 dicunt includi syllogismo quasi practico, constante Majore, Minore
 & Conclusionè: seu, ut alii malunt, Exordio, Narratione & Conclu-
 sione libellus absolvitur, quæ triti illi versiculi comprehendunt.

*Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, Et à quo:
 Rectè compositus quisq; libellus habet.*

Quos refert glossa in c. 1. verb. libellum X. de libell. oblat. & addit pro
 clariori partium Libelli explicatione sequentes:

*Conventi nomen, nomen quoq; convenientis
 Judicis Et nomen scriber, anjamq; petendi*

Et

Et quascunq; petet res, has subscribere debet.
Examinabimus hæc, ordine usuri posteriori divisione.

XVI.

Continebit ergo exordium nomen iudicis. Olim proprium exprimere erat necesse, imprimis pedanei *l. antepen. ff de Judic. Marant. in spec. aur. p. 6 membr 3. num. 8. Bocer. class. 6. disp. 14. th. 10. Umm. ad process. Jud. Disp. 6 th u. n. 49.* hodie vel fieri hoc potest, vel prætermitti: ut plurimum vero dignitatis officiiq; nomen ponitur, atq; Judex titulis suis reverenter salutatur & honoratur, & id quidem optima ratione introductum receptumq;: sic enim intelligit Judex actorem coram se velle agere, intelligit reus vocari se ad competens tribunal. Compellatur autem dignitatis titulis Judex, quandoquidem illi facilius sciri possunt, quam proprium ejus nomen. Magistratûs enim & gloriosa functio hominem notum facit, etiam iis, qui nomen ejus ignorant, *Schneiderv. ad §. 1. J de action. n. 120.*

XVII

De actoris nomine non una omnium est opinio: quidam illud, licet quis pro se ipso agat, necessario exprimendum arbitrantur, ut *Bocer. class. 6. Disp. 14. th. 11. Marant. dict. part. 6 membr. 3. num. 4.* alii omitti id ipsum posse putant, ideo, quia is offerendo libellum personam suam profiteatur. *Bald. & DD. communiter in l. Edita. C. de edend* Nos cum prioribus facimus, cum ab illorum partibus Judiciorum usus stet, neq; immerito. Suspectum enim reddit malæ causæ & fraudis actorem nominis proprii dissimulatio atq; suppressio. Sed quid si agat per Procuratorem? Et hinc quidem variant sententiæ. Nos salvo aliorum judicio sentimus non posse eo casu principalis nomen omitti cum *Treutl. vol. 1. disp. 4. th. 10. lit. C.* et *Oldendorp. in syllog. except. forens p. m. 291.* Interim Procurator ipse subscribere, quod nomine partis producit, tenetur. *Ord. Cam. part. 1. tit. 22. §. Item sol kein &c.* Idem exigat *Ord. Dicast. Provinc. Megap. de anno 1622 part. 1. tit. 6. §. die procuratorn vers. auch neben den Advocaten.*

XVIII.

Rei deniq; nomen in libello est collocandum, imprimis si contra certum aliquem actio dirigatur, isq; tum ita describendus,
ut quis

ut quis sit, dubitari nequeat. Idem locum habere, si adversus
plures agatur, neq; ibi sufficere, ut unus nominetur, cœteri
no mine consortum designentur, statuit *Bocer. d. disp. 14. th. 12.*
per l. 3. §. 2. ff. de appellat. adjicit tamen *ibid. lit. b.* usum ejus-
modi designationem plerumq; admittere. ¶ Exprimendum hic
esset, quid juris sit, si plures rei unà sint conveniendi? Si
contra Universitatem, collegium, tribum; contra Ecclesiam,
pupillum, furiosum, minorem, absentem; contra personam
incertam sit agendum, quæ tunc adhibenda nomina? sed cum
dissertatio hæc certis debeat absolvi paginis, cogimur esse
breves.

*Virid. Ord
Cum part.
3. f. v. r.
S. v. v. v.
aljo.*

XIX.

Atq; hæc quasi libelli exordium constituunt. Pars altera
ejus potest dici Narratio, quæ factum ipsum congruè, plane,
intelligenter Judici debet exponere, ex quo cum jus oriatur,
causaq; petendi resultet *l. 52. §. 2. ff. ad. L. Aquil. Schneidvv. ad*
§. 1. J. de action. n. 108. circumspæctus omninò hic debet
esse actor, & facti speciem tam vivis coloribus delineare, ut
primo intuitu statim petendi causa appareat, seu, quod idem,
concludendi medium: quomodo verò res, si ea fortè petatur,
mobilis & immobilis sit describenda, docent *l. 34. ff. de Con. & De-*
mon. l. 6. §. 1. ff. de Rei Vin. l. 4. ff. de censibus. c. 2. & ibi g'oss. X de
libel. oblat.

XX.

Ita diligenter institutâ narratione, causa agendi se ipsam
ostendit. Est verò ea duplex, Proxima & Remota. *Gail. 1.*
observ. 61. n. 3. In Reali actione v. g. petitione hæreditatis pro-
xima causa est hæreditas; in Rei Vindicatione dominium, vel
quasi, *gloss. ad l. 14. §. 2. ff. de except. rei Judic.* atq; hæc in libel-
lo est exprimenda, puta, Hæreditatem meam esse, Domum meam
esse, *Gail. d. obs. n. 7. Giphon. de ord. Jud. tract. 1. cap. 14. p.*
m. 116. Remota est titulus, seu modus acquisitionis, qui reti-
ceri potest, *Rosbach. de process. civil. judic. tit. 33. n. 28.* licet
interdum consultius sit utrumq; cumulare. e. g. Sum Domi-
nus fundi illius, quia illum emi. Quod actori quandoq; pro-
desse

B

esse ostendit Rosbach. dict. loc. Bocer. class 6. Disp. 14. th. 15. Gothofred ad l. 14. §. 2. ff. de except. re. judic. In actione Personali proxima causa est obligatio. Hanc solam exprimere in libello non sufficit, v. g. Peto decem, ad quæ mihi es obligatus. Remota est contractus, vel quasi contractus, delictum, vel quasi delictum; & hæc exprimenda omnino, utputa, mutuum, emptio, furtum &c. gloss. ad c. 2. X. de libell. oblat. Mynsing. ad rubr. tit. de action. n. 10. & DD. communiter. Certè nomen actionis ut hodie in libello exprimat, non est necessum, c. dilecti. 6. X. de judic. Gail. d. obs. 61. n. 8. & 9. qui tamen num. 21. ibid. limitationem addit. Giphon. d. loc. p. m. 117. Rosbach. d. tit. 33. n. 29. Quamvis, quod olim fiebat, probandum videatur apprimè, ut Judici & adversario statim in fronte libelli declaremus, quo Jure perveniamus ad judicium, sicuti Oldendorpius, Pragmaticorum non postremus, monet in syllog. except. forens. p. m. 343.

XXI.

Hic notandum, si obscurum, quæ sit actio intentata, Judex eam debet eligere, quæ actori sit omnium utilissima, præsertim si clausula illa salutaris, peto mihi Justiciam administrari omni meliori modo, adjecta appareat. Hujus enim, vel similis clausulæ tantus est effectus, ut omne remedium competens, & resultans ex narratis, in Judicium deductum censeatur, Gail. 1. obs. 61.

XXI.

Supereff novissima ex necessariis illis libelli capitulis pars & quidem potior, imò ejus fundamentum, & quasi spiritus, aut vita, nempe conclusio. Wesenb. in. w. de Edend. n. 3. continens in se rei petitionem, cujus gratià Judicium est institutum, Gail. 2. obs. 61. n. 14. & 15. Eaqu; dirigenda est tam ad Judicem, quam ad reum, Obrecht de form. libell. 1. 5. n. 445. Bocer. class. 6. Disp. 14. th. 21. hanc omnino necessariam esse, vel inde apparet, quia sine ea frustra speres judicis sententiam, l. 4. §. 8. ff. de damn. infect. Pro fatuo enim habetur, qui addicit, quod petitum non est. Et etiamsi in narratione multa proponantur, pauca vero in conclusio-

conclusionem petantur, Judex non narrata, sed petita attendit. *l. fin. C. de fidei comm. libert. Carpz. def. forens. p. 1. c. 26. d. 7. n. 3.* Hæc sicut necessaria est regulariter, ut dicebamus *th. 2.* ita libellum concipiens industriam maximam adhibeat, ut ex propositis recte concludat, conclusioni enim Judex tenetur sententiam suam accommodare, *l. 18. ff. comm. divid. Clement. Sæpe. de V. S. Schneidrv. ad §. Curare. 32. num. 40. J. de action. Mysing. ad eund. §. ubi num. 7. & seq. tradit regulam illam, Sententiam debere conformem esse libello, cum aliquot limitationibus:*

XXIII.

Non tamen desunt causæ, in quibus conclusio omissa libellum non vitiat. Duas earum tantum notavit Rosbach de *process. judic. civil. tit. 33. n. 33.* Sex vero Oldendorp. in *syllog. except. forens. p. m. 298.* at novem Umm. *disp. 6. th. 11. n. 52.* Ex quibus præcipuæ sunt summariæ, secundum Socinum *reg. 288. fall. 5.* tum eæ, in quibus Judex officium suum etiam non imploratus (nec libellus hic requiritur, si agatur in modum denuntiationis, non actionis, Durand. in *Spec. lib. 4. p. 1. §. 9. n. 1.*) tenetur impartire, quas solas videtur agnoscere Aufon. *Popm. lib. 2. de ord. & usu judic. tit. 13. n. 18.* nec non quæ coram Principe ipso examinantur, *arg. l. 19. C. de Testam.* Si agatur de possessione recuperanda, per vim amissâ. *DD. in l. 1. ff. de Edend. si causæ fuerint Ecclesiasticæ, Oldendorp. d. loc. p. m. 259.* Et, quas primo loco nominare debuissemus, si causæ fuerint criminales, nisi de iis dictum fuisset *th. 2.*

XXIV.

Antequam accederemus ad partes accidentales libellorum, operæ pretium existimavimus & hoc dicendum, utpote faciens ad eorum formam. Etsi namq; non incommodè libellus à Wesemb. *Specul. aliisq; syllogismus practicus & judicialis,* à Zasio verò & Grevæo Ictorum appelletur, non tamen necesse esse, tradunt, strictè servare logicum ordinem constituendarum propositionum, ita ut in libello Major, h. e. causa petendi, Minorem, h. e. facti speciem, præcedat, quin potius hodie ferè post exordium, casus,

B 2

sive,

Sive facti species, quæ debet esse Propositio Minor, præmittitur, deinde petendi causa ex Jure desumpta, quæ Propositio Major est, subjungitur, Conclusionemq; proximè anteit. Imò interdum Major Propositio, si extra omne dubium vera sit & obvia, silentio involvitur, & narratio in forma Enthymematis concipitur, quod tamen improbat. & ignaviâ eorum, qui nesciverunt plerumq;, quam actionis speciem intenderent, introductum queritur Magnus ille *Oldendorp. in syllog. except. forens. p.m. 290.*

XXV.

Illud quoq; ad qualitatem formamq; omnis Libelli pertinet, ne sit Ineptus: ineptus vero est, qui vel quoad materiam, vel quoad formam adeo miser existit, ut interpretando servari nequeat, *Gail. 1. obs. 66. n. 1. & 5. & obs. 67. n. 1.* talis est contra Judicii stylum notissimum conceptus; item quo petitur res, quæ non existit vel in natura, vel in commercio, atq; talem debet rejicere Judex, reumq; absolvere quoad illum libellum, & actorem in expensas condemnare, *Gail. d. obs. 67. n. 1. Rosbach. de process. Judic. civil. tit. 33. n. 36.* vel illi injungere, ut errorem emendet, *Gail. 1. obs. 67. n. 5.* Ne sit Obscurus, qualem faciunt verba æquivoca, perplexa, dubia & alia, quæ tradit *Gail. 1. obs. 62. n. 3. & seq. & obs. 66. n. 6.* quem tamen posse ab actore declarari, docet *Umm. sepè all. disp. 6. th. 15. n. 71.* Ne sit Incertus: cum enim Judex, quantum possibile est, certam debeat ferre sententiam §. 32. *J. de action. certus libellus*, utpote cui sententia conformanda est, requiritur, *c. 6. X. de sponsal. l. 7. pr. & §. 4. ff. de injur. Gail. 1. obs. 62. n. 2.* hic tamen interdum sustinetur, *Costal. ad l. 1. ff. de Edend. Bocer. class. 6. disp. 14. th. 25. per l. 76. §. 1. ff. de R. V. arg. l. 1. §. fin. ff. si pars hered. pet. Myns. ad §. Curare 32. J. d. action. n. 20. & seqq.* Ne sit Generalis, sc. in actionibus specialibus, seu particularibus, quales sunt in *l. 38. ff. pro socio.* aliud enim est in iis, quæ propter universitatem competunt, *d. l. Auson. Popm. lib. 2. de ord. & usu Jud. c. 13. n. 9. & 10.* In Judicio tamen universali, puta, petitione hæreditatis, generalis petitio

petitio libelli sufficit, *Gail. 1. obs. 68. n. 1. Bocer. class. 6. diff. 14. th. 27. & 28.* Nec Alternativus, cum alternativæ locutiones incertitudinem pariant & obscuritatem, *l. 75. §. ff. de V. O. Vid. tamen apud Gail. 1. obs. 62. n. 4. & seqq. aliquot casus, quibus alternativus libellus admittitur. Jung. Myns. 4. obs. 11.* Et tales libellos judiciorum usum non recusare ait *Meichsner. 1. decis. cam. 21. n. 7.* Summatim, si offeratur Judici libellus vitio aliquo laborans, illius erit considerare & expendere, an scriptura illa ipso jure nulla, adeoq; insuper habenda, an verò demum ad instantiam adversarii, exceptionibus enervata, debeat rejici. Interim Libellum, quamvis vitio aliquo laborantem, si ille ita sit comparatus, ut intentio actoris ex eo possit cognosci, in favorem ipsius interpretatione juvandum, & quoad fieri potest, sustinendum monet *Gail. 1. obs. 61. n. 16. & cum eo Obrecht de form. libell. c. 18. n. 3. & seqq. Mejer in Colleg. Arg. tit. de Edend. th. 23. per text. in l. si quis 66. ff. de judic. & l. 83. §. 1. ff. de V. S. Rosbach. d. tit. 33. n. 37. & seqq. aliquot.* Quod verò de libello obscuro in civilibus *th. 8. in fin* fuit dictum, illud hoc loco referimus etiam ad incertum & generalem libellum, cum *Gail. 1. obs. 66. num. 6.*

XXVI.

In articulado libello speciatim cavendum I. ne positiones sint multiplices, i. e. quævis complectatur tantum unam rem, quæstionemve, non varias, ad quam vel affirmativè, vel negativè reus possit respondere. Quod si enim multiplex sit articulus, & partim verus, partim falsus, reus eum totum non neget, vel affirmet; sed eum dividat, & figillatim quodlibet membrum vel neget, vel confiteatur. Quam sententiam probant *Myns. 2. observ. 55. vers. Rectius. Bocer. d. diff. 14. th. 37. Ord. Cam. p. 3. tit. 15. §. sum andern. Gail. 1. obs. 84. n. 17. 18. 19.* ubi distinguit, utrum Positio (sunt qui intra Positiones & Articulos differentiam faciunt, sed frustra, *vid. Gail. 1. obs. 79. n. 2. & 3.*) contineat quantitatem, vel qualitatem. II. Ne sint impertinentes articuli, h. e. alieni, & nihil conferentes, sive directè, sive indirectè, ad causæ probationem, *Gloss. c. 1. verb. Statuimus. de confess.*

B 3

*incrim non
vel cum de
falere disse
rentiam in
ter illos; Gail
ad. obs. n. 6.
Clemen. Scipe
2. de Ver. J. J. J.*

in 6to. *Gail. 1. observ. 81. n. 4.* qui, an cum clausula, salvo jure impertinentium, admittendi sint, examinat late *Græv. 1. concl. 81. Myns. 2. obs. 65. Gail. 1. obs. 81. III.* Nec captiosi, i. e. tam subdole concepti, ut, sive quis eos affirmet, sive neget, sibi tamen semper respondendo noceat, *Gail. 1. obs. 82. n. II. III.* Ne facti alieni, tertium non litigantem concernentes, *Myns. 5. obs. 54. V.* Ne sint juris communis, secus est si de consuetudine sunt concepti, *Gail. 1. obs. 82. n. 13. & 14. Græv. 1. conclus. 82. n. 12. & seqq. VI.* Ne criminosi, rei existimationem lædentes, *Myns. 6. obs. 92. per l. II. §. 1. ff. de action. rer. amor. Negativi tamen admittuntur, c. 1. & ibi gloss. de confessu in 6to. Bocer. class. 6. disp. 14. th. 42.* De his omnibus videre licet *Durand. in Spec. lib. 2. par. 2. de positionib. §. 7. Ferrar. in prax. lib. 6. de form. excip. contr. position. Bocer. d. Disp. 14. th. 35. & seqq.*

XXVII.

Sequuntur libelli partes accidentales, quas adjicit actor, si lubet, vel omittit. Hæ maximè protestationibus, clausulisq; salutaribus constant, atq; ex his quædam Exordio, quædam Narrationi, quædam ipsi Conclusioni solent appendi. Ad primi census classem pertinet, cum actor captat benevolentiam, & sub initium libelli protestatur, se desideria sua non proponere in forma solennis libelli, sed petitionis simplicis: cum intacta sibi reservat privilegia omnia, imprimis de non astringendo se ad ulteriora probanda, quam quæ ad causæ victoriam faciunt, *Marrant. in Specul. aur. p. 6. tit. de libell. oblat. n. 17. Myns. 3. obs. 70.* cum affirmat, se nihil convitii & injuriæ causâ sed omnia secundum veritatem dicturum, & si quæ sunt de hoc genere plures.

XXVIII.

Illarum, quæ Narrationem comitantur, exempla sunt Clausula quæ interponitur de amicè primùm compellato & admonito adversario, antequam in Jus vocatus fuerit, de cujus operatione & effectu vid. *Cujac. 16. obs. 7. Schneidvv. ad §. I. f. de*

action.

*actio. n. 124. Oldendorp. in syll. except. forens. p. m. 324. Item illa, quâ prospicit sibi actor, ne calculi error possit nocere. Hilig. in Donell. enucl. 23. comm. 4. lit. D. Agmen trahunt & in finem libelli subjiciuntur clausulæ multæ salutares, è quibus sunt solemnes illæ & notissimæ, peto mihi Jus & justitiam administrari omni meliori modo, cujus supra *th. 21.* mentionem fecimus: item, salvo jure addendi, minuendi, declarandi. De qualibus clausulis vid. *Rosbach. de process. jud. civ. tit. 25. Auson. Popp. lib. 2. de ord. & usu judic. c. 15.* Licet præter hos & alii de iis egregia multa suis commentariis inseruerint, & peculiare scripserint tractatus, satis magnos, *Petrus Cornelius Brederodius, Johannes Chirotus Ceramius.**

XXIX.

Hactenus explicitum, quomodo adornandus libellus, ne vitium habeat, vel defectus aliquid. At vero si quis errore lapsus, aut præcipitantia, incuriave hallucinatus sit in libello construendo, an eum recudere licet & errorem corrigere in judicio? Tractant illam questionem late *DD. ad l. Edita. 3. C. de Edend. ad §. 34. & 35. § de action.* Nos ante litem contestatam mutari libellum posse existimamus, ita tamen, ut, si pars adversa per eam mutationem damnum sentiat, illud ei refarciatur ab actore: post litem vero contestatam mutationem libelli non admittimus per rationes adductas à *Gail. 1. obs. 74. n. 4. & seqq. aliquot. Vvesemb. in w. de Edend. n. 8. in fin. nisi saltem emendetur, h. e. male conceptus in melius redigatur, vel declaretur, salva libelli substantia, Besold in disp. de process. jud. c. 8. in fin. Frid. Fabric. in process. Cam. tit. 46. in fin.*

XXX.

Non videtur alienum à proposito nostro attingere actionum cumulationem, quam in uno eodemque libello permiscam usque receptam esse, propter diminuendas lites, communiter statuitur, ita tamen, ut, si id fiat, judex sigillatim pronunciet secundum cujusque actionis naturam, *Gail. 1. obs. 63. Zasius ad §. si minus. 34. n. 12. & seqq. Schneid. ibid. n. 16. & seqq. Frid. Fabr. in process. Cam. d. tit. 46. Ita re-*

Act. cu.

Et cumulantur posesforium & petitorium. *e. 2. X. de caus. posesf. & propr.* Petitio sortis & usurarum. *Myns. 1. obs. 57.* Actio injuriarum & legis Aquiliae l. 34. ff. de O. & A. *Gail 1. obs. 63 n. 9. Myns 1. obs. 25.* & alia, se invicem non tollentes, nec contrariae *Myns. ad §. minus 34. num. 34 & seqq. Bocer. clas. 6. disp. 11. Zas. & Fabr. all. loc.*

XXXI.

Ad finem properantes finem libelli esse existimamus, ut desideria agentis judici exponat, huncq; & adversarium simul de futura lite instruat, *l. 1. ff. de postul. l. 1. §. 1. ff. de Edend. l. 3. C. eod.* Continet enim libellus actionem, actio vero jus persequendi in judicio. De hoc enim & judicatu & vocato in jus liquere & constare debet.

XXXII.


Habet quoq; libellus egregios suos & prænobiles effectus. Nam illa, in libello quæ narrantur, reputantur pro confessis, *arg. l. 2. C. de inst. & subst. Vvesemb. in x. de Edend. n. 8.* Rem facit litigiosam *Auth., Litigiosa C. de litigios. Nov. 112 c. 1.* licet nunquam id effici per libellum posse, statuat *Umm. D. 6. th. ult. n. 81.* Præscriptionem interruptit, maxime si citatio vel præcesserit, vel sit insecuta, *l. 2. & ult. C. de annal. except.* Actionem quandam perpetuat, *l. 2. C. quand. libell. Princip. dat. lit. fac. contest.* Operatur & alia, quæ angustia pagellarum præscriptarum non admittit. Proinde subsistimus & gratias exsolvimus

DEO TRINO & UNI MAXIMO.





the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiae se infere-
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 1615. vagabundus quidam homo co-
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-
 cupans, & ex familia illustri Graecorum
 jactans, adjumeto intercessionu, quas
 te impetraverat, in plurimorum prin-
 s, & civitatibus ingentem pecuniae
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-
 , ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-
 , poenam temporalis relegationis in-
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-
 u assumpto nomine Advocati cujus-
 ejus publice jactaverat, quem postea
 iudiae Senatus virgis coedi, & exilio
 tinent & huc exempla relata a *Valers*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nem suam mutat, & se pro alio suppo-
 ma apud Historicos aliosq; scripto-
 inter quae notissimum est illud Plau-
 pta forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut e bello rever-
 concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4